

1572  
Philippi  
Regis de  
classibus  
conjugen-  
dis manda-  
ta.

Hispanorū  
decretum de  
prælio non  
committens-  
do.

classe Austriacum mandata accepisse nuntiatur ; nec multo post ab eodem Austriaco biremis cum literis ad collegas , quibus eadem continebantur , supervenit : se proinde profectionem enixe urgere , ac ne interea quidquam ipsi aggrediantur ; sui adventus fama Græcis animos addant , maritimaque Reipu- cæ loca tutentur , petere . Ejus rei nuntio plerique erigere animos , atque ex superioris anni felicitate sese ad majora spe- randa tollere coeperant . At qui rem altius cogitabant , eo an- ni tempore Austriacum adventurum dicebant , quo rerum ge- renderium opportunitas pene effluxisset ; inani potius ostenta- tione , quam ut egregii quidquam meditaretur , foederatos , ac præcipue Venetos eludere voluisse : parce commeatus invectos , neque instructam adeo classem esse , ut diutius detineri in o- riente posset , nuntiabatur . Huc accedebat , quod Fuscarenō imperatori Prosper Columna secreto significaverat , Hispanos certaminis aleam cum Turcis posthac non subituros . Nam et- si ingentem ex superiori victoria Philippus lætitiam cepisset ; attamen quantis sese periculis objectasset cogitantem , adver- sosque exitus formidantem , a prælio in posterum abstinere decrevisse ; ob id Sueßanum Ducem , qui juventæ flore fervidum fratris ingedium temperaret , ad classem misisse . Dona- tus quoque orator Senatui significaverat , superioris anni faci- nus a plerisque improbari ; temere ab Austriaco factum ja- ctari , quod triremium numero inferior , diversis ac dissentien- tibus fortasse inter se viribus , cum eo hoste manum conse- ruisset , qui prævalida numero , copiis , recentibusque subsidiis firmata classe præstaret , quæ unius tantum imperio , veluti corpus a mente , regeretur ; neque satis Venetorum consilium sibi probari , qui unius horæ momento universam eorum im- perii vim periclitari voluissent .

Perleatis Austriaci literis , iter duces persequi statuunt . Centum ac quadraginta triremes , præter naves , ac galeatias , in classe adnumerabantur , quæ hoc ordine instructa incede- bat , ut Marcus Antonius Columna , Fuscarenus , ac Gildandra- da aciem triremium quadraginta tenerent . Ex cornibus , quæ pari triremium numero , una nempe ac quadraginta con- stabant , Jacobus Superantius dexterum ; lævum Antonius Ca- nalius legatus regerent ; Marcus Quirinus e Creta rediens cum

Classis fo-  
deratorum  
copia & or-  
do.